



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. Quid est Fortitudo, & quænam sunt vitia ei opposita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

CAPUT II.

*De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis,
ac Vitiis oppositis.*

Q. I. *Quid est Fortitudo, & quanam sunt vitia ei opposita?*

Resp. I. Fortitudo est virtus, quæ animum secundum rectam rationem, & legem divinam moderatur, circa ea, quæ acerbæ, & terribilia sunt: ita ut nec pravo timore, nec temeritate quidquam agat, aut omittat contra rectam rationem, & legem divinam: quare moderatur timorem, audaciam, & tristitiam in gravibus malis, & periculis præsertim mortis. Ejus actus sunt aggressio, & perpeffio.

Resp. II. Peccatur contra Fortitudinem per excessum & defectum timoris, & audendi: unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timiditas seu timor inordinatus, cum timetur quod, vel quando non oportet, vel plusquam oportet. 2. Animi stupiditas, qui est defectus timoris rationabilis, ut cum quis mala seu pericula non formidat, nec cavet, quæ, vel quando, vel quantum oportet formidare, & cavere. 3. Audacia, seu temeritas, quæ est excessus in audendo vel aggrediendo, quando, ubi, quomodo non oportet. 4. Ignavia, quæ est defectus audendi, ut cum quis non aggreditur vel non sustinet quod, & quando, & sicut recta ratio dicitur.

Q. 2.